

quoque reperto accipiatur. Nam et apud Hippocratem libro De hominis natura ideae nomen legitur:¹⁶ *Atque hoc unum existens, mutare ideam et potentiam.* Et mox:¹⁷ *Itaque multae ideae morborum.* Et Polybus^{vi}, cuius libros Aristoteles ipse citat libro De semine:¹⁸

5 *Sunt vero quatuor ideae humidi: sanguis, bilis, aqua et plegma: tot enim ideas habet connatas homo, quibus locis ideae nomen species fere significat, quo significatu ipse quoque est usus primo De coelo capite 7:*¹⁹ *Necesse et ideas simplicium corporum esse terminatas, et alibi. Itaque nec nominis idearum nec rei Plato excogitator fuit.*

10 Nunc oppugnationes idearum singillatim percenseamus. Eiusdem primi Sapientiae libri capite 7. ita refert Aristoteles:²⁰ *In Phaedone quidem ita dicitur, tamquam et ipsius esse et fieri, causae, formae sint.* Haec sane Platonicae scientiae, quod postea videbimus recta est relatio: sed cum sexies in eo dialogo idearum mentio sit facta, ultimo loco est, quod hic citat, sunt autem Platonis verba haec, veluti concludentis:²¹ *Postquam ipsi haec concessa fuere et confessum fuit esse aliquid singulas formarum et harum alia participare, harum ipsarum nomenclaturam obtinere.* Superius autem dixerat:²² *Videtur enim mihi, si quid aliud est pulchrum prae-*

¹⁶ καὶ τοῦτο ἐν ἐὸν μεταλλάσσειν τὴν ἰδέην [ἰδέαν] καὶ τὴν δύναμιν. [HP. Nat. Hom. 5.3 – 4]

¹⁷ ὥστε πολλαὶ μὲν ἰδέαι τῶν νουσημάτων [νοσημάτων]. [HP. Nat. Hom. 5.13]

¹⁸ εἰσὶ δὲ τέσσαρες ἰδέαι τοῦ ύγροῦ, αἷμα, χολή, ὕδωρ καὶ φλέγμα. Τοσαύτας γὰρ ἰδέας ἔχει συμφυέας ὁ ἄνθρωπος. [HP. De semine, de natura pueri, de morbis, 3.3 – 5]

¹⁹ ἀνάγκη καὶ τὰς ἰδέας τῶν ἀπλῶν σωμάτων εἶναι πεπερασμένας. [ARIST. Cael. 274b.1 – 2]

²⁰ ἐν δὲ τῷ Φαιδρῷ οὕτω λέγεται, ὡς καὶ τοῦ εἶναι καὶ τοῦ γίνεσθαι αἴτια τὰ εἶδη ἐστί. [ARIST. Metaph. 991b.3 – 4]

²¹ ἐπεὶ αὐτῷ ταῦτα συνεχωρήθη καὶ ὡμολογεῖτο εἶναί τι ἔκαστον τῶν εἰδῶν, καὶ τούτων τάλλα [τ' ἄλλα] μεταλαμβάνοντα αὐτῶν τούτων τὴν ἐπωνυμίαν ἵσχειν [σχεῖν]. [PLATO, Phd. 102.a.10 – b.2]

²² φαίνεται γάρ μοι, εἴ τι ἐστιν ἄλλο καλὸν πλὴν αὐτὸ τὸ καλόν, οὐδὲ δι' ἐν ἄλλῳ καλὸν εἶναι, ἢ διότι μετέχει ἐκείνου τοῦ καλοῦ. [PLATO, Phd. 100.c.4 – 6]

^{vi} Corr. ex Polybius